Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# HECTICA COMPLICATA,

QUAM

EX DECRETO FACULTATIS GRATIOSÆ,
ADSISTENTE GRATIA DIVINA,

PRÆSIDE

D. ALEXANDRO CAMERARIO,

THEORIÆ AC PRAXEOS PROFESS.
ORDINARIO, REL.

DNO COGNATO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO
OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA

GRADUM ATQUE PRIVILEGIA DOCTORIS MEDICI
LEGITIME CAPESSENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXPONIT

AUCTOR

JOANN. THOMAS HOPFER, GERTRING.

AD D. DECEMBR. M D CC XXXIV.

HOR. LOCQ. CONSUETIS.

---

TUBINGÆ.
Typis JOSEPHI SIGMUNDI.

30

VIRIS,

*Prænobilissimis, Amplissimis, Experientissimis atque Excellentissimis*

DOMINO

ALEXANDRO CAMERARIO,

MEDICINÆ DOCTORI, THEORIÆ AC PRAXEOS PROFESSORI ORDINARIO CELEBERRIMO, PRÆSIDI DISPUTATIONIS GRAVISSIMO.

DOMINO

BURCARDO DAVIDI MAUCHARTO,

MEDICINÆ DOCTORI, EJUSDEMQUE, PROFESSORI ORDINARIO, SERENISSIMI DUCIS WURTEMBERGIÆ CONSILIARIO ET ARCHIATRO MERITISSIMO,

COGNATIS, PRÆCEPTORIBUS PATRONIS

Parentis Locò colendis, & omni cultu ætatem venerandis

Devotionis & gratitudinis ergò

Disputationem hanc Inauguralem

*Offert ac dedicat*

JOH. THO. HOPFFER.



# Σ. Θ.



Um ad finem ſub DEI Gratia perducto ſtudiorum academicorum ſtadio, ſuperatis quoque feliciter examinibus, de ſpecimine profectuum publico cogitandum, atque Diſputatio Inauguralis conſcribenda mihi fuerat, non equidem hæſitare diu, vel ſub meditatione profunda ungues dentibus arrodere neceſſum habui, undenam thema petere ſive velim, ſive debeam. Ecquid enim aliena ſequar, cum domi ſuppetat, quod agam, in quo genium exerceam meum, revocando in memoriam, & conſervando in hiſtoria medica, quod paſſus eſt, qui morbi ſui hiſtoriam litteris Ipſe conſignavit, & ad Diſputationem inde conſcribendam benevole conceſſit, *Dominæ* MATERTERÆ meæ MARITUS, Cognatus & Patronus, nec non ſtudiorum quoque meorum Adjutor, omni honoris cultu venerandus. Occaſionem igitur hancce prorſus favorabilem ambabus, quod ajunt, manibus arripio, multo mihi facilius fore judicans, in cathedra diſputatoria defendere argumentum minime peregrinum, ſed

domesticum, cui toties adstiti compatiens, querelarum non minus ac remediorum factus particeps. Infirmitatis autem ac tenuitatis meæ conscius, Alios docere non præsumo, sed argumentum modo conflictui parare sustineo, proin historiam morbi, conceptis ab ægroto verbis, ne minimum quidem mutatam sisto, notulas saltim aliquot subsecivas potioribus ejusdem momentis ac periodis adspersurus. *Faxit Deus feliciter!*

" A*Nni superioris mense Majo* (I.) *febre* tertiana *per dies quatuordecim laboravi*, *&* *quidem* (II.) legitima, *quæ post assumtam potiunculam* (III.) *laxantem e foliis sennæ, rhabarbaro atque manna calabrina, sine usu antifebrilium, scilicet corticum, sponte cessavit.*

*Post* (IV.) *febrim hanc superatam symptomata seqq. sese manifestarunt: Scil.* tussis (V.) *ferina, noctu vehementius affligens*, dolor *lateris sinistri punctorius, obtusus vero lumbi sinistri. Hic dolor similis erat illi, quem vulgus vocat* das milz hacke einem; *huncque dolorem pro lubitu, manu contingens illum vel mollius vel durius, augere vel minuere potui, hac cum circumstantia notabili, quod post cibum & potum assumtum dolor sese quasi occultaverit, sic ut locum abdominis affectum absque ullo dolore digitis non saltim tangere, verum etiam comprimere potuerim. Post* (VI.) *pastum vero maximæ mihi molestiæ fuerunt angustiæ præcordiorum, respiratio difficilis, dolor stomachi gravativus, atque tussis; Quæ, circa vesperam semper exacerbata, cum dolore punctorio utriusque lateris, dextri tamen præ sinistro, per totam inde duravit noctem.*

*Hæ querelæ a mense Junio* (VII.) *protractæ usque in novembrem fuerunt, appetitu semper bono existente, tempus diurnum semper tolerabilius nocturno fuit; quapropter omnes officii partes, non quidem sine molestia, præstare tamen adhuc potui.*

*Sternu-*

*Sternutatio & oscitatio forte venientes dolorem tam in pectore, quam in abdomine, exquisitissimum mihi commoverunt.*

*Ingravescentibus sensim* (VIII.) *sensimque symptomatibus, inprimis* tussi *ac* tabe *totius corporis, inopinato die septimo Novembris* asthma *spasmodicum convulsivum noctu me invasit, cum dolore lateris dextri, inter costam quartam & quintam, exquisite punctorio; Respiratio antea libera subito ita præclusa fuit, ut medicamentorum nihil, nisi liquoris cornu cervi succinati atque spiritus salis armoniaci anisati, dosin anaticam, assumere potuerim. Externe tamen lateri valde vehementerque dolenti epithema domesticum calide fuit impositum. Hic paroxysmus per sesquihoræ spatium me miserum misere torsit. Die hujus mensis undecimo* recidiva *quidem asthmatis recurrit, sed non tanta cum vehementia tam doloris punctorii, quam respirationis difficilis.*

*Superatis per DEI gratiam hisce duobus paroxysmis spasmodicis, omnes ceteræ querelæ tolerabiles fuerunt, excepta tussi, quæ exacerbata in dies fuit, donec* (IX.) *die quinto Decembris* tormina *ventris acutissima è somno mane me excitaverunt, quæ brevi secuta est* diarrhœa cruento purulenta, *cum tenesmo vix tolerabili, qui tenesmus omnes postea excretiones alvinas, similiter cruentas atque purulentas, per solis, lunæ martisque dies insequentes, graviter exacerbavit.* Sanguis *excretus grumosus fuit, & fundum vasis statim petiit, aliquoties tamen etiam fluidior & rubicundior dejectus.*

*Huic symptomati urgenti* potus calidi, *Thee, Coffee Chocolata,* lacte *remixti, remedio fuere;* Clysteres *domestici per diem bis applicati; quorum usu continuo malum hoc cruento purulentum in totum cessavit.*

*Circa hanc diarrhœam, dysenteriæ rubræ similem, notatu dignum erat, quod tam laterum punctorius, quam abdominis obtusus dolor, si vel maxime non in totum, in tantum tamen*

 *immi-*

*imminutus fuerit, ut lateri utrique rursus incumbere potuerim.*

*Tussis* (X.) *antea semper vehemens, & cum dolore punctorio conjuncta, per hoc accidens mitis ac* benigna *facta est, corpusque, viribus exhaustum & exsuccum, somnum recuperavit; Diebus sequentibus etiam* expectoratio *liberior, cum sputo viridi tenaci facile prodeunte; Mane vero ter quaterve tussiens, dolorem perpessus sum toties punctorium, qs. acuum puncturis similem, in dextro pectoris latere, infra costam quartam & quintam sese diffundentem, quem semper secutum est sputum flavo viride tenax.*

*Interea venerunt* (IX.) *duæ novæ circumstantiæ; Scil.* intumescentia, *vel inflatio potius,* pedum *attactu frigida, inprimis circa suras, earumque dextram fere præ sinistra, quæ tamen in lecto statim evanuit. Altera,* sudor nocturnus, *per usum chocolatæ imminutus.*

*Rebus sic stantibus, per octiduum videbantur symptomata multum imminuta, die autem* (XII.) *decimo nono Decembris secuta* mutatio *notabilis,* tussi *vehementer* aucta, *præcordiorum angustiis, laterum dolore punctorio exquisito, tam in antico pectore, quam in dorso, donec tandem nocte insequente, circa horam secundam atque tertiam matutinam, quatuor vel quinque vicibus* sputum *veniret* cruentum, pure remixtum, *cætera flavo virescens, glutinis instar tenax. Constans fuit hoc diebus etiam sequentibus Phænomenon,* nihil *unquam cruenti vel* purulenti *per totum* diem *reliquum fuisse sputo rejectum, sed quasi* per paroxysmos, *horis modo matutinis secunda & tertia, prævio sudore prius dicto, comparuisse saltim sputum cruentum atque purulentum. Sicuti etiam cruoris usque minus in sputo fuit; Ita vigesimus octavus decembris finem expectorationi cruentæ tulit.*

*Ructus* (XIII.) *summe dolorifici augebant dolorem lateris dextri,*

*dextri, a costa quarta ad septimam & octavam usque descendentem; Abdominis vero dolor* recrudescebat, *hac inprimis molestia stipatus, quod sine dolore acutissimo corpus erigere non valuerim; Quapropter hoc incurvato, & ad latus sinistrum reclinato, incedendum mihi tandiu fuerat, donec abdominis & thoracis musculi aridi, exsucci & quasi breviores facti, successive iterum extendebantur.*

*Hucusque* (XIV.) caput *immune mansit, & a querelis liberum. Jam vero per aliquot dies* vertiginoso *modo obnubilari cœpit, & perrexit, donec trigesimo Decembris e lecto mane surgentem grave* animi deliquium *prehenderit, per dimidium horæ spatium durans; Assistente tamen Gratia Divina præter spem feliciter superatum, idemque simul phænomenorum abs me notatorum ultimum.*

Pulsus *semper æqualis erat* (XV.) *versus noctem parum celerior ac citatior.* Urina *colore citrino, quandoque magis rubicundo, cum sedimento plus minus bolari.*

*Quod ad* Curam: (XVI.) *Pectori* pectoralia *lenia; Abscessibus intestinorum, & Ulceribus pulmonum, data fuerunt* abstergentia, *mundificantia, consolidantia, vulneraria & travmatica;* Externe, *partibus in pectore & abdomine dolentibus, unguenta pectorale & resumtivum.*

*Uti* Diæta *optima Medicina;* (XVII.) *Sic idem hoc in casu quoque revera fuit. Quantum enim valuerint emulsiva,* gelatinosa, *nutritia,* potus calidi *coffe & chocolatæ cum lacte, hujus testis per DEI gratiam superstes est Ægrotus Ipse.*

*Quod statum* (XVIII.) *jam concernit præsentem, supersunt adhuc querelæ quædam, scil.* tussis, respiratio difficilis, *post prandium difficilior, difficillima tamen ab ascensu acclivi atque cæna, quapropter cænare mihi non licet.* Intumescunt *etiam rursus ad suras pedes. Et exacerbantur hæc rigore hyemali. De cetero res bene se habent.*„

(1) Qui

(I.) Qui hic febre tertiana laborasse dicitur, Idem ille est, qui quondam sub Dn. Præsidis mei B. PATRE Disput. sua pro Licentia ventilaverat quæstionem : *Accolæ nicri cur adeo febribus obnoxii?* Primum igitur, adtentionem nostram mereri quod videbatur, est *Subjectum*. Medicus, febre laborans tertiana. In ACT. PHYS. MED. NAT. CUR. VOL. I. *Appendice* magna cum voluptate nuper legi *Memoriam Camerarianam*, sive Orationem, quam B. Patri suo Dn. Præses meus Filius Successor habuit, Parentatoriam, ex qua, præter alia multa bona, cognovi, beatum illum Virum, aliquando graviter ægrotum, post valetudinem recuperatam pro rostris academicis dicturum, orationis suæ thema constituisse *Medicum Ægrotum*. Si tum licuisset mihi esse adeo felici, & audire Istum ita perorantem, auderem certe præcipua sermonis momenta huc transferre. Audio enim, Ipsum tanta cum dictionis suavitate, non minus ac argumentorum dignitate, solitum verba facere ad pubem academicam, ut ad audiendum istum magna semper frequentia avide confluxerint. Succurrit tamen etiam antiquum illud, a modo laudatæ *Academiæ Imperialis Naturæ Curiosorum* Illustri & Magnifico Domino PRÆSIDE in *Adagia Medica* relatum : *Medicus*, *Ipse ulceribus scates*. Quemadmodum igitur in disputationibus academicis Præses & ipsius Respondens stant pro persona una ; Sic in praxi clinica sæpe medicus & ægrotus etiam conveniunt in persona una, cute teguntur eadem. Præter enim fragilitatem corporis propriam, qua homines utique sumus, etiam, ut alii, mortales, adeoque morbis non minus obnoxii ; Insuper dudum omnibus innotuit triste illud sostrum, pendi medicis quod ab ægrotis assolet. Utinam modo febres essent intermittentes! Non continuæ malignæ, ut proh! dolor in vicina Argentoratensium Academia fieri relationibus publicis undique docemur, atque vices Ejus maximopere dolemus, non sine piis ad DEUM precibus, ut Gratia Sua Sotheria clementer Eidem opituletur, simul vero Eberhardinam Nostram ab omni lue immunem præstet!

(II.) Alterum *Morbus* est, quo laboravit Noster : *Tertiana* febris, & quidem, ut testimonium ipsi perhibet Medicus ipse ægrotus, *legitima*. Hanc indolem utique demonstravit duratione sua, non longa, sed HIPPOCR. *Aphor. 59. S. IV.* conformi ; Septenis

enim

enim ad ſummum circuitibus juxta hunc terminari tertiana exquiſita debet. Cadens etiam in Virum juvenem, cholerici magis quam fere cujuscunque alterius temperamenti; ſervans invadendi tempus vernum ac antemeridianum, neque paroxyſmos ultra duodecim horas extendens ſuos. Quam & hac occaſione optandum eſſet, ut obtingerent omnibus febres iſtiusmodi ſaltim legitimæ; Ita non haberemus amplius, quales in ægroti noſtri *Diſput. cit,* deprehendo, febricitantes vel *novitios* vel *veteranos*; Nec audirentur querelæ Medicorum de febre *tertiana anomala maligna*, quæ thema quondam præbuit Dn. *Præſidis* B. AVO, vel de febribus *corruptis*, quas Diſputatione peculiari perſtrinxit STAHLIUS. Et ſi vel maxime non ceſſarent ſponte ſua, medicamentis tamen auſcultarent congruis, neque medicis, nec ægrotis moleſtæ, vel durationis longitudine, vel recidivarum frequentia.

(III.) Tertium eſt adhibita morbo *Cura. Naturam* eſſe *morborum medicatricem*, vix ullibi frequentius adparet, ac in febribus quidem intermittentibus. Non opus erit, multa hujus rei teſtimonia conquirere, quæ magno numero proſtant paſſim. Sufficiat unicum audire SENECAM. Ex ejus ad *Lucilium* ſuum *epiſt. 104.* novimus, Ipſum peregrinatione febrem curaſſe ſurrepentem, &, *Paullina* licet ſua atque Medico renitentibus, cum urbis gravitatem vix exceſſerat, adeo mutatam protinus ſenſiſſe valetudinem, ut ſubjungat: Quantum deinde adjectum putas viribus, poſtquam vineas attigi? In paſcuum emiſſus, cibum meum invaſi. Repetivi ergo jam me. Non permanſit marcor ille corporis dubii, & male cogitantis. Incipio toto animo ſtudere.

Quemadmodum ergo febris hæc deſeruiſſet forte Noſtrum ſponte ſua; Tam opportune tamen ab Ipſo per *potiunculam laxantem* fuit tractata. Sublata enim cauſa effectum quoque ſublatum iri ſpes erat fundatiſſima, quam eventus quoque confirmavit. Formula temperamento prius dicto convenientiſſima, ſimul etiam extra febres ad purgandum aptiſſima, quippe non modo facile fortioribus acuenda, verum etiam ad cujuscunque palatum adcommodanda, ceterum præ multis aliis ſecura.

 *Anti-*

*Antifebrilia*; sine quorum usu curata febris dicitur, modo transeant. *Cortex* autem, quem sub istis intellexisse Nostrum declarat adjunctum *scilicet*, sine censura omni non æque potest transmitti. Notum est, quam laudetur ab his, verum etiam adhuc hodie culpetur ab illis cortex, ut acidum quondam, insons. Neque minus notum est, quid ante paucos annos pro ipso scripserit Dn. PRÆSES meus in Disp. de *usu corticis a febribus ad icterum extenso.* Eadem Ipsi hodienum stat sententia. Quia tamen calamitosum hoc anno bellum, & hujus gratia numerosum valde ad Rhenum habuimus exercitum, animo succurrit cautela, quam in lectionibus hybernis quondam ab Ipso audire me memini: Ne quis cortici adscribat noxas *arsenico* debitas, cortici clanculum a maleferiatis olim admixto. Scomma illud in corticis Patronum, de Arte nostra bene meritum, minime curo. Sit MORTONO nomen a *morte*, sed *in exilium acta*, nec amplius tantam hominum stragem edere valente.

(IV.) Notanter in historia dicuntur phænomena vel symptomata ista venisse non a febre, sed *post* febrem, & hanc quidem si vel maxime non sponte terminatam, methodice tamen curatam, ac feliciter superatam. Hanc objectionem enim occupare *Noster* voluit verbis jam superioribus, ne quis arbitrari possit, a febre male curata, vel importune ac præmature per corticem suppressa, venisse demum ista, quæ ne quidem deprehendo talia, ut pro febrium reliquiis haberi vel venditari possint. Quod enim de hypochondrio sinistro dicitur, & cum plebis illo, *das milz hacke einem*, comparatur, id alterius plane generis fuisse, nec a placenta febrili, quam vulgo vocant, originem sumsisse, ex seqq. ad oculum patebit. *Deinde*, si quod; res est licet eloqui, animadversa in Nostro fuerunt talia morborum dicendorum fundamenta jam prius, quam febre quidem laboraverat intermittente. Tussiculosus enim fuerat jam ab annis plusculis, & de laterum suorum modo hoc, modo illo querulus, sed minorum gentium Deos ista reputans eorum incurius, corporis autem contabescentia sensim obrepente Suis tanto magis suspectus.

(V.) Symptomata dicuntur paucis consistere in duobus: *Tussi* ac *puncturis*. Qui febriliter dejectus tussire dicitur, ac in laterum alterutro pungi, illum alias vulgus habet pro pleuritico, maxime si sputum accedat cruentum, quod etiam hic adfuisse, sed demum longo tempore post venisse, infra audiemus. Neque tamen hic pleuritis fuit; quippe febris acuta continua inflammatoria defuit, generis longe alius febre vel jam latente, vel sensim subrepente, ac sub cineribus gliscente. *Tussis*, sicca fuit, inanis, ac vespertino tempore exacerbata, quod ipsius causam quasi continentem, atque febris modo citatæ naturam, naris emunctioris medico facile significat. *Ferinæ* prædicatum non reportavit eo sensu, quo infantes epidemia quandoque vexat tussis spasmodica, vere convulsiva; Sed vehementiam modo atque pertinaciam ejus Autor isto innuere voluit.

*Dolor* duplex, loco etiam non uno, fuit, nec unus ab altero pependit, sed suas sibi res quilibet seorsim habuit, adeoque morbum complicatum declaravit. *Unus* magis pungens & *acutior*, in dextro *pectore*, ad costam thoracis quartam & quintam infra determinatus, magis etiam novitius, & recentius demum venisse observatus, procul dubio eandem cum tussi causam habuit, suo loco dicendam. *Alter obtusior*, magis in profundo, infra hypochondrium sinistrum, in *lumbo* illius lateris, & abhinc versus ilium, ad usque hypogastrium fere, se extendens, sed ante priorem observatus, gemino illo seorsim notato phænomeno statim explicando singularis. Hunc causam tamen priori similem habuisse, effectum quoque non dissimilem produxisse, ex dicendis adparebit.

Quod enim jam concernit *das so genandte Milz hacken*, cum quo comparare Noster dolorem suum voluit, ille non est alius, quam *pulsatorius*, hisce ipsis diebus a Dn. PRÆSIDE in Disp. *d. Tum. præcord. int.* secundum differentias suas potiores descriptus, pro diversitate causarum & objectorum modo magis infarctuosus obstructorius, alias forsan magis restrictorius, congestorius, saltim

 tempo-

temporarius. Quid autem? ſi dicamus, fuiſſe Noſtri dolorem, quo propius ab autumno hyemi adpropinquavit, eo magis inflammatorie pulſuoſum, qualis, ut vomicarum & abſceſſuum internorum comes, ex CÆLIO AURELIANO Diſp. cit. fuit allegatus.

Doloris iſtius *phænomenon alterum* concernit *adtactum* externum, quem adeo ægre tulerit, inde toties exacerbatus, ſaltim non a paſtu, quo tempore impune licuerit contingere locum affectum, etiam duriuſcule. Neutrum admiratione tanta dignum mihi quidem videtur. Quam enim naturale eſt, e. g. digiti paronychia ſaltim obſeſſi fibram tenſam criſpatamque, ut adpulſum ſanguinis arterioſi, ita multo magis digitum tangentis, aut corporis univerſi ſuccuſſionem ſubitaneam à ſternutatione, vel pulmonum expanſionem, & partium abdominis compreſſionem, ſub oſcitatione, infra citatis, ægre ferre, ac abhinc acerbius dolere; Tam naturæ rei non minus ac experientiæ conforme eſt, a calidorum, quaſi totidem fomentorum, admotione fibras ita tenſas criſpatasque demulceri ac relaxari, præſertim ſi, per modum diverſionis aut revulſionis, a loco adfecto ad ventriculum, pro cibis ibi concoquendis, natura revocetur.

(VI.) Diſtingue tempora, tum etiam hic concordabit ſcriptura. Quædam horum venerunt citius, alia tardius, culpa vel ventriculi, vel ſanguinis, a novo chylo ſubintrante turgeſcentis. Scilicet *ventriculus* cibo repletus ampliatur, diaphragmati ſub inſpiratione deſcenſuro minus cedit, quin hoc quandoque ſurſum trudit, ac thoracis cavum arctat, proin pulmonibus priſtinum ſemet expandendi ſpatium non concedens, ſanguinis per illos tranſitum difficilem, majores ergo cordi labores faceſſit, atque adeo *reſpirandi difficultatem* excitat.

*Cardialgia* aliunde derivanda, atque rerum non naturalium vitio cuicunque potius, quam morbo ceteroquin primario, adſcribenda erit, unde etiam non ſemper adfuit, ſed per intervalla ſatis utique vaga ægrum invaſit. Erat enim nec diætæ obſervator,

tor, nec animi pathematnm moderator, adeo ſtrenuus & rigoroſus, unde, pro laxioribus in horum alterutro habenis, etiam illa variare fuit animadverſa.

*Anguſtiæ* autem *præcordiales* veniſſe ſerius deprehenſæ ſunt ab incaleſcentia poſt paſtum hecticis familiari, quibus tum rubore genas ſuffundi, manuum volas incaleſcere, pulſum citatiorem fieri, atque adeo febrem quaſi temporariam excitari, in vulgus notum, hecticisque cum hypochondriacorum multis commune eſt.

(VII.) Hoc febribus hecticis proprium eſt, durare tam diu, non in menſes modo, ſed annos, atque adeo etiam actu ipſo tueri nomen *lentæ febris*, præſertim ſi jam radicata vel habituata fuerit, & juxta loquendi formulam Hippocratis non aliquis ipſam, ſed hæc illum habeat. Nec eſt, quod quis credat, ſemeſtri quidem hoc morbum circumſcribi. Quemadmodum enim ſupra notatum eſt, prima ejus ſtamina fuiſſe poſita jam citius, ante febrem vernalem; Ita nec febris finem incidiſſe vel in Novembrem, vel Decembrem, ex ſequentibus patebit. Abbreviari tamen etiam, vel prolongari poteſt febris iſtiusmodi, tam a medico, quam ab ægroto, prout eorum unus vel alter, vel uterque, ſeſe geſſerit.

*Deinde*, quemadmodum de hydropicis alias obſervant, quod, quo plus ſint potæ, plus ſitiantur aquæ; Ita viciſſim de hecticis, præſertim vero phthiſicis genuinis, notum eſt, illos non *adpetitum* modo ſervare ſuum, ſed interdum inſolenter *edaces*, quin *voraces* fieri, ſcilicet quo magis vel ſudoribus colliqueſcunt, vel alvo diffluunt, aut ulceroſa pulmonum labe toto corporis habitu contabeſcunt.

*Denique*, quod *exacerbationum* horas concernit, ſunt hæ *veſpertinæ* ac nocturnæ. In ſuppurationibus enim internis omnibus ad noctem labores obſervari dixit HIPPOCRATES *Libr. V. Epidem.*

 *§. 73.*

§. 73. Ingruente igitur diei veſpera ſolet, pro ratione febris diverſa, vel clarior vel obſcurior, in ægrotis talibus notari vel horripilatio, vel minor ſaltim caloris conſueti gradus, & frequentior audiri tuſſis, reliquum abhinc tranſigi ſub incaleſcentia ac pulſus, imo reliquorum forte conjunctorum ſymptomatum, ratione febrili conſueta. Proinde me non monente quilibet facile perſpicit, quanta hæc ſit moleſtia medico praxi clinica occupato, ſi, per horas diurnas ægrotorum ſuorum valetudini ſe totum conſecrans, die veſperaſcente cum proprio miſeri corpusculi morbo conflictari neceſſum habet. Nemo hac parte miſerior eſt *medico*, vere *adflicto*, & fruſtra neceſſariam corpori ac animo feſſis requiem anhelante, cui ne pro indigentia quidem ſua relinquitur, quod pro ſatiando voluptatum deſiderio adhibuiſſe C. J. CÆSAREM novimus ex illo *poetæ* blandientis diſticho: *Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane, Diviſum imperium cum* JOVE CÆSAR *habet.*

(VIII.) *Aſthma* dudum innotuit, tam medicis quam ægrotis, ut mirabile phantasma, quod nullum curat cataplasma. Non hic locus eſt agendi de illo ex profeſſo. Legi, ſi cui lubet, poterit *Diſputatio*, quam Dn. *Præſidis* B. Avus ſub hoc titulo reliquit. Ego mearum modo rerum ſatagens, continebo me intra terminos mei caſus, potiora ejus momenta perpenſurus.

Aſthma hecticæ, inprimis alteri ex infra dicendis, facile jungi patet vel ex ægris, quos ſollicite recenſet STAHLIUS Diſſ. d. *Hectica abſceſſuum internorum comite.* Fuit autem hoc Noſtri, ut tuſſis hactenus, *ſiccum*, non humidum, nec a pituita viſcida excitatum, unde nec ejusdem exſcreatione terminatum, quippe quod ab indole ac temperie Noſtri prorſus alienum eſt; Gradu vero tam intenſum, ut *ſpasmodici* & *convulſivi* prædicatum utique meruerit. Poteſt enim etiam hæc reſpirationis actio, non augeri tantum ac imminui, verum etiam depravari, prouti caducus pulmonum probat, atque tuſſis convulſiva prius dicta.

*Cauſam*

*Causam* Noster innuit, doloris in pectore punctorii augmentum citans. Scilicet non arbitror, subfuisse hic respectum, vel hæmorrhagicum in genere, vel hæmoptoicum in specie; Sed increscente sensim usque magis pulmonum inquilino infra dicendo, hujus apertionem, illorum vero liberationem, intendisse Naturam, ab occasionali causa forsan irritatam. Etenim fuerat septimus ille Novembris inter *Novilunium eclipticum*, conjunctione *jovis* & *mercurii* stipatum, ac *saturni* cum *venere* trigonum, cum *mercurio* quincuncem, quasi medius, post primam mensis septimanam frigidam hybernam, primus iterum nubilus, pluviarum ventique ad adspectus posteriores tempestuosi prodromus, cum servo chymicorum fugitivo etiam in tubo Torricellii æque perambulano, ac, ex altitudine ad profundum celeriter delapso, citatis gressibus nunc resurgente.

*Gravitatem* passionis declarat *respirationis præclusio* tanta, ut præter paucas liquidi guttas transmittere nihil isthmus iste faucium potuerit. Hanc miseriam dicas cum aceto mixtam, si quis, sæpe frigidissima etiam hyeme ad fenestras aperiendas properare coactus, erecta cervice utrinque humeris lateribusque laborare, ex infimo abdominis anhelare, & extremis narium pinnis quasi captare auram, omnibus aliis liberam, anxie tenetur. Laudatus SENECA paroxysmum in semetipso similem expertus illum *Epist. LIV. Lucilio* suo sic describit: "Longum mihi commeatum dederat mala valetudo: repente me invasit. Quo genere, inquis? Prorsus merito interrogas: adeo nullum mihi ignotum est. Uni tamen morbo quasi assignatus sum; quem quare Græco nomine appellem, nescio. Satis enim apte dici suspirium potest. Brevis autem valde, & procellæ similis, impetus est: Intra horam fere desinit. Quis enim diu exspirat? Omnia corporis aut incommoda, aut pericula, per me transierunt; nullum mihi videtur molestius. Quidni? aliud enim quicquid est, ægrotare est: hoc est animam agere. Itaque medici hanc meditationem mortis vocant."

*Therapia* sua Noster acu rem tetigit. Enimvero etiam hic causa

causa sublata, spasmo per liquorem cornu cervi succinatum sedato, effectus tolli potuit eo certius, quo minus de natura spasmi fuerat scena morbi primarii reliqua universa. Externa tamen paregorica symbolam quoque suam contribuisse opellam firmiter persuasus credo, præter omnia alia Disput. prius cit. nixus.

(IX.) Nunc scena tandem plenius instrui, morbusque indolem suam prodere incipit. Vocatur quidem φαινομενον hoc υπεργυνομενον a Nostro *Diarrhoea Dysenteriæ rubræ similis;* universus tamen ejus adparatus sic describitur, ut affectus genuinus ac primarius latere possit neminem. Scilicet Dn. *Præses* a Nostro super querelas suas consultus, Ipsum in gremio suo hostem gestare occultum, *abscessum* in abdominis quadam parte latentem, Eidem jam dixerat, cum adhuc altum de pectore fuerat silentium. Hoc criterium diagnosticum eventus hodie confirmavit, & abscessus iste, quemadmodum doloris illius alterius supra dicti, licet obtusioris, contactum tamen ægre adeo ferentis, causa fuit notoria; Sic *ruptione* sua dictum *alvi fluxum* ex *cruento purulentum* excitavit. Unde prima nunc, ad minimum ruptionis & manifestationis ordine, prodit *Hectica Abdominalis*, non hodie demum abs rupto, sed jam sub & ab hactenus occulte gestato abscessu nata, conformiter illis quæ ex SCRETÆ *L. d. Febr. Castr. Mal.* Nepos cognominis *Disp.* sua *Inaugur.* deduxit quondam sub Dn. *Præsidis* B. PATRE.

Quam præcise partem occupaverit abscessus, arduum est determinatu. Doloris *locus*, a lumbo per ilei regionem, ad usque hypogastrium protensus, intestinum, aut ileum aut jejunum, vel his proxime confinem mesenterii partem innuere; *Species* autem, atque a pastu mitescendi consuetudo, suspicionem confirmare videntur.

*Excretio sanguinea* hic fere largior describitur, quam ut ab ab abscessu rupto illam tantum venisse crediderim. Num *hæmorrhoidalis* dici, & *tenesmus* huic principio simul adscribi possit, conflictui reservabo. Dolorum vero mitigatio, ac decubitus iterum

iterum promiſcuus, a rupto procul dubio venit abſceſſu, conformiter HIPPOCR. *Aphor. 47. Sect. II.*

Tandem *Therapia* paucis etiam tangenda. Hanc mirabuntur non pauci; Nec minus erunt forte totidem, qui deſiderabunt illam non ægroti. Sed in vado res eſt. Jam ſuo quondam tempore GALENUS, hecticam *aquæ* ſaltim *frigidæ* potu ſe curaſſe, gloriatus eſt *L. X. Meth. Med. Cap. V. & VI.* ac *L. d. Marcore C. VII.* Quanto magis igitur aqua calida, herbarum travmaticarum virtutibus imbuta, ac ad affectum locum immediate delata, neceſſariis vero abſtergentibus atque mundificantibus, non minus ac balſamicis, in clyſteribus adjuta, tandem lacte ac oleoſis nutritiis hecticæ adcommodis permiſta, idem adhuc hodie præſtare poterit. Teſtimoniis non indigebo multis. Sufficiet allegare *Nat. Cur. Vratislav. Hiſtor. Morb. A. 1699. p. 112.* juxta cum Illuſtr. FRID. HOFFMANNI *Diſpp.* de *Seri Lactis virtute longe ſaluberrima*, & *mirabili Lactis Aſinini in medendo uſu.*

Denique, *ceſſaſſe* quidem in *totum* dicitur alvus ex cruento purulenta; Sed num ceſſatura quoque ſit in perpetuum, id quidem cum Deo & die experiemur. Abſceſſum talem ac tantum, intra tam paucos dies, potuiſſe penitus mundificari, & conſolidari conſtanter, id quidem optandum potius, quam ſperandum eſt. Si concipiamus ut vomicam, cum folliculo ſuo proprio, hunc evacuatum, & in lateribus ſuis collabaſcentem, rurſus impleri, citius vel tardius denuo rumpi, id quidem tantum non quotidianum eſt. Ex Medici Maſſilienſis NICOL. CHESNEAU *Obſerv. L. V.* conſtat, fœminam, ab aſceſſu hypochondrii dextri ita feliciter rupto, ut pus vomitu rejectum, tribus Medicis viſam fuiſſe perfecte ſanatam; Poſt annum vero, cum ille denuo repletus eſſet, macie confectam, extricare ſe non potuiſſe, ſed ſuccumbentem demonſtraſſe, quam ſint ſpes hominum fallaces.

(X.) Obiter modo perlegenti hunc §. videri poſſet, *abſceſſum* ſimilem nunc etiam in pectore *ruptum*. Mihi tamen *necdum* ita videtur.



detur.

detur. Sed tussis hactenus importuna mitescere, ac pure intus cocto abscessus, quamvis adhuc clausus, tamen mollescere, inflammatio remittere, proinde dolor mitigari, atque decubitus tolerabilior fieri, simul vero sputum ex pulmonibus mucosum tenax prodire, & ex sicca in humidam mutari tussis potuit, absque tamen eo, ut abscessum statuere debeamus ruptum, quippe cujus phænomena pathognomonica sequuntur demum infra.

(XI.) Nimium ne fide colori; fallit enim. Sic in morborum diagnosi atque prognosi symptomatum uni modo vel alteri. Gaudebat in sinu, atque res in vado suas esse, reputabat Noster, quod asthma non recurreret, alvus purulenta cessaret, tussis mitesceret, Ipse decubitum promiscue rursus ferret. O! igitur iterum spes hominum fallaces. Adhuc latet anguis in herba. *Febris* superest, qua corporis habitus depascitur, humores liquantur & vappescunt, adeoque tam sudor nocturnus, quam intumescentia pedum excitatur. Hæc febris, uti fere flammula lampadis, non uno semper modo sese habet, quandoque admodum remissa, quin vix notabilis, alias iterum exardescens; quod ipsum, ut ab innumeris circa res non non nat. erroribus, sic inprimis a suppuratione vomicarum, earundemque vel inflammatione superveniente, vel ruptione ac subsidentia, fieri & cum his pari passu ambulare observatur. De sudore autem hecticarum qui plura volet, evolvat tam NATURÆ CURIOSOS URATISLAVIENSES, quam STAHLIUM loc. atque Disp. supra citatis.

(XII.) Jam scena demum panditur secunda, dum clausa hactenus gestata rumpitur *Pulmonis* dextri *Vomica*, proin *Hecticæ Abdominali* supra dictæ nunc sociam se declarat *Hectica Abdominalis*, vulgo dicta *Phthisis*. Equidem ab hectica non nisi subjecto differt phthisis; pulmonibus ulcerosis propria, dum ab aliarum quarumcunque, quandoque etiam externarum modo, partium ulcere, tam aperto quam clauso, dicitur hectica e. g. hepatica, renalis, vel alia. Non igitur illo sensu hecticam dicimus complicatam, quo talem exhibuit olim B. D. BRODBEQUIUS *Disp. Inaug.* habita in *duas Galeni historias* L. 10.

Meth.

Meth. cap. V. in Med. & L. I. Febr. cap. x. Hecticæ ſimplici alteram, cum putredine talem, ſuperaddens, eandemque non ſolum frequentem, verum etiam cognitu difficilem, curatuque arduam adſerens. Quod egregie poſtea declaravit Ejus Succeſſor, Dn. *Præſidis* mei B. Avus, in *Poſit. Medic. Inaug. Th. III.* contendens, dari febrem lentam tabificam non ulceroſam, ſed quaſi eſſentialem & primariam, ab hectica diſtinguendam. Sed hecticam putridam cum putrida complicatam, ab ulcere genuino diverſis partibus inhærente natam, priſcorum loquendi more, modernorum vero phthiſin genuinam hecticæ veræ junctam, nos hocce caſu ſiſtimus, hecticæ tamen in diſputationis rubro ſervantes nomen ſolum, tanquam magis generale, melius etiam quadrare viſum, prorſus conformiter illis, quæ in Diſp. cit. d. *Hect. abſceſſ. intern. com.* STAHLIUS. Non jam nec animus eſt, nec inſtituti etiam ratio permittit, quæ de affectu utroque dici ac forte notari maxime mererentur, congerere, inprimis ſecundum differentiam illam generalem, quam morbus offert in primo, ſecundo vel tertio ſui gradu conſtitutus, vel primigenius vel ſymptomaticus, ab ulcere vel clauſo vel aperto, vel definito vel indefinito ortus. Ablegabo de talibus ſollicitum ad *Phthiſiologiam* MORTONI, notulas vero adſpergere ego pergam præcipuis etiam hujus periodi momentis.

*Tempus* vomicæ pectoralis ruptæ, non minus ac illud aſthmatis, videtur aliquod notatu dignum exhibere phænomenon. Quam illud, atque ruptura vomicæ abdominalis, inciderunt in Noviluniūm, tam undevigeſimus ille Decembris proximus fuit ante Plenilunium, mercurio retrogrado ac ſolſtitio hyberno notabile, quod poſt lutum, pluvias atque nives (ſub quibus, non dicam ominoſa, oppido ſingularia tamen atque extraordinaria fueruntDresdæ quidem fulmina alibi ſaltim fulgura ac tonitrua) plenam nobis tulit hyemem ac rigorem boreæ, cum cœlo ſereno, ac ſtatione mercurii, per totum quidem menſem altioris, hiſce diebus tamen omnium ſuprema. Quotus quisque vero eſt, qui ignorat, frigus pectori eſſe inimicum, jam ſuo quondam tempore id obſervante ac no-

tante HIPPOCRATE in *Sect. III. Aph. 5. & 17.* ac *Sect. V. Aph. 24.*

Deinde, *augmentum tussis*, crescens rursus præcordiorum angustia, atque exacerbatio puncturarum, ab anterioribus etiam ad scapulam in dorso semet extendentium, prodromus fuerunt mutationis in pectore imminentis, ut fere criseos futuræ nox præcedens inquieta.

*Sputum cruore tinctum*, vel potius variegatum, confirmat quod nos supra diximus: Scilicet tam cruorem alvinum, adeo multum, ex abscessu ibi rupto non posse derivari solum; Quam expectorationem, jam a fine Novembris observatam, nec tamen a rupta tum pulmonis vomica fuisse, neque purulentam. Quod enim circa sputum sæpe res adhuc sit valde dubia, prudenter quondam monuit Dn. *Præsidis* B. PATER *Disp. cit.* & facile concipit, qui perpendit differentiam inter pus, ichorem atque saniem, cum illorum primum ejus gravitas specifica in aqua quidem subsidere, neque tamen conversam hujus propositionis ut regulam universalem valere, faciat.

Porro, mirari subit, cur *cruor* sputo purulento mixtus continuaverit in *diem* usque *nonum*. Rationem in exacerbationibus periodicis quærendam esse, num recte statuam, conflictus docebit. Tales autem *paroxysmorum* periodos jam GALENUS olim Hecticæ putridæ signum dixit, in historiarum cit. altera, & laud. BRODBEQUIUS ex hac ipsa ratione febribus magis intermittentibus adnumeravit, dum hectica simplex uno potius continuo tenore pergat, non nisi forsan illa, supra jam a nobis allegata, una, duabus vel tribus a pastu horis veniente, incalescentia varians.

Denique, *sputum* cruento *purulentum*, circa secundam vel tertiam matutinam, & *sudore* quidem *prævio*, demum processisse observatum, tria suppeditat notatu digna: *Primo*, tempus sudoris hectici, discretivum ab sudore quocunque alio, aliis horis, præsertim matutinis, tardius veniente. *Secundo*, natura tenax est ordinis sui, & observantissi-

ma temporis, ut morborum, ita paroxyſmorum quoque, cruditatis & coctionis. Nec tuſſire, nec exſpuere ſecunda demum matutina cœpit; ſed tuſſis per principium paroxyſmi aliquandiu ſicca; deinde ſputum mucoſum tenax ex flavo viride, quale diebus jam prioribus, ſub finem atque declinationem paroxyſmi vero demum purulentum fuit. Interim *tertio*, perquam oppido rarum hoc & inſolens omnino phænomenon eſt, quod per diem reliquum nihil unquam purulenti ſputo dicatur rejectum, ulcus magis definitum atque circumſcriptum, certis quaſi periodorum intervallis aperiendum, innuens.

(XIII.) Non mirum eſt, ſub tantis in pectore turbis etiam *recruduiſſe* malum abdominis. Quamvis enim ſuas ſibi res quilibet ſeorſim habuit abſceſſus, tam ille pectoris, quam alter abdominis, nervorum tamen, intercoſtalis & vagi paris, conſenſus intimus atque ſanguinis communio, facile in partes etiam hunc iterum venire fecit; forſan etiam inflammationis aliquid ibi rurſus excitavit. Sed nec *alterum* inauditum eſt, dare hoc doloribus homines, & in illam partem ſtatim concedere, corpus ſuum vermis inſtar tam diu flectere, incurvare, contorquere, donec requiem inveniant, utut ſub hac interdum obrigeſcant, ſi vel maxime non in toto, tamen in parte. Obverſatur, dum hæc ſcribo, memoriæ meæ Medicus alius, quoad affectus principales Noſtro ſimilimus, aliquando per biduum modo colica graviori detentus, qui, ob torminoſos ventris dolores, ſublata verſus umbilicum retractum genua, remittentibus poſtea doloribus, extendere non ſtatim potuit rurſus, tendinibus genuum flexoribus jam quaſi corrugatis, ac relaxatione ſucceſſiva iterum elongandis. Ex hoc fonte podagricorum & arthriticorum contracturas quoque non raro fluere, totus arbitror.

(XIV.) Quantum hoc ſit beneficium, in morbis, non gravioribus ſaltim ac longioribus, ſed quibuscunque omnibus, *caput* manere *liberum*, norunt tam experti, quam contrarium paſſi. Eſt hæc prærogativa phthiſeos ac hecticæ, quod, niſi quidem

inflammatione ſuperveniente abripiantur acute, neque capite, nec ulla fere corporis parte doleant, ſed animo forti ac præſentia mentis conſtante mortem oppetant, vera etiam phyſica ευθανασια fruantur. Quemadmodum ergo capitis vel dolor, vel adflictio gravior alia, non eſt pars querelarum hecticæ ſibi relictæ, (niſi forte *cerebri vomica* ſubfuerit, qualem Diſp. pecul. exhibuit Dn. *Præſidis* B. PATER) ſed aliunde ſuam repetit originem, ſi quidem hecticum adfligit; Sic etiam hæc oculorum vertiginoſa obnubilatio, tandem ad ſyncopem adeo gravem invaleſcens, ſympathica potius, & ex præcordiis oriunda, quam idiopathica videtur; Ceterum in memoriam mihi revocans ſtudioſum, pleuritice graviter & extra ordinem diu decumbentem, cui, ipſa tandem quadrageſima medica veniens, forte animi deliquium, febris acutæ finem tulit.

(XV.) Hæc *febrem* ſignificant, pro gravitate & complicatione morbi *majorem* quoque & clariorem. Alias enim neque lenta tabifica, neque hectica ſibi relicta, urinam adeo tingit, multo minus ad ſedimentum bolare turbat, uti recte notavit in Diſputat. allegat. STAHLIUS. Ad hanc febrem vero in curatione phthiſeos, addam ego & hecticæ, reſpiciendum ſemper eſſe inculcavit Dn. *Præſidis* B. AVUS in Poſit. cit. Theſi V.

(XVI.) *Therapia* pathologiæ debet ut ſubordinari, ſic etiam conformari. Unde ſi hæc fuerit erronea, non genuina, illam quoque vel fruſtraneam, vel incongruam, quin noxiam, fore neceſſe eſt. Sicuti igitur conſentientem habemus ægrum, inteſtinorum abſceſſus, & pulmonum ulcera, etiam in plurali confitentem, quod in ſingulari de ſingulis ſufficeret. Sicuti porro dudum confecta res eſt, non eſſe ulcus ante abſceſſum, nec pus ſine inflammatione prævia, multo minus hoc intra corpus fieri ſine febre, vel manifeſtiore vel occultiore, vel eryſipelacea, vel apoſtematode vel hectica: Sic ulceribus ac abſceſſibus internis alia etiam dari non potuerunt interne, quam qualia externis partium quarumcunque ulcerationibus opponere ſolent & norunt etiam balneatores

ac

ac tonsores nostri. Logicum enim hic rursus egit Noster, non nisi sublata causa effectum tolli reputans, non nisi prius ulceribus curatis febrem curari persuasus; habito tamen semper partium inprimis laborantium respectu, quem diligenter observandum inculcat MOEBIUS, & huic principio conformiter *Instit. Tab. XIX.* e. g. in thoracis & pulmonis affectibus monet, ne nimis nec refrigeremus, nec exsiccemus, adeo, ut etiam adstringentia sint magis humida.

Quoniam remedia enumerare singula non placuit Nostro, indicationes atque classes medicamentorum generales nominasse contento; Itaque multo minus egó docere alios præsumam, & unica notularum biga acquiescam. Cautelam practicam de *provido* tam *balsamicorum* quam *expectorantium usu* sedulùs observavit Noster, utramque fundamento non destitui deprehendens. Deinde, *aquam Fontis Sotherii sulphuream*, bono omine in prato patrio scaturientis, bono cum fructu bibit hactenus & laudavit.

(XVII.) Quantum *Diæta* valeat ad morbos, ut inducendos si peccaverit, sic avertendos & curandos, si legitime instituta ac prudenter ordinata fuerit, omnes norunt. Nec raro videas, quod huic deberetur, adscribi decantatæ Naturæ energiæ medicatrici. Quamvis hanc illa egregie juvari non negaverim. Maneat igitur præsidiorum & remediorum medicorum fons tertius omni laude dignus, prioribus duobus, chirurgico & pharmacevtico subordinandus, non raro sine his sufficiens solus, maxime si cibos ita medicamentosos æger seligat, quales ad morbum adeo facientes, & indicationibus ad amussim respondentes hic recensentur.

De *Gelatinis* dicere, ac in illarum laudes excurrere, necessarium non est, postquam peculiarem ipsis disputationem dedit Dn. *Præses.*

*Thermoposia* autem, cui apologiam Noster hic scribit, campum aperiret amplissimum, excurrendi non saltim in diversa potuum genera, huic vel illi morbo adcommoda, verum etiam

in

in ſalubritatem inprimis aut noxam horum ipſorum potuum calidorum, qui diſceptationibus totidem dederunt anſam. Sed non vacat, his immorari. Habe paucis animi ſententiam: Optimæ rei peſſimus eſt abuſus; Imo ne uſus quidem promiſcuus. Si plura voles, evolve de Thea quidem PECHLINI *Theophilum Bibaculum;* De Coffe *les Memoir. pour l' hiſtoir. des Scienc. & des beaux Arts de Trevoux,* Mois d'avril A. 1716. De Succolata vero ANTONIUM COLMENERIUM DE LEDESMA.

(XVIII.) Superſtites *querelæ priſtinæ* docent, ſupereſſe ſtatum quoque corporis priſtinum; adeoque inducias ſaltim eſſe morbi, totidem ignis adhuc ſub cineribus gliſcentis indices. Non enim conſiderari poſſunt hæc, ut morbi ſuperati reliquiæ, a contracta forſan partis debilitate proficiſcentes, uti vulgo calendarium quaſi quoddam perpetuum, tanquam damnum permanens, circumgeſtare dicuntur e. g. vulnerati; Sed ſunt ipſiſſima febris hecticæ ſigna, ſuperius jam expoſita, abſceſſuum novo pure rurſus implendorum argumenta, proin eorum, quæ ſupra dicta ſunt, τεκμήρια proh! dolor ἀποδεικτικά. Quam igitur optandum eſt, ut hæc *rerum bene ſe habentium* facies diu modo continuet! Durare enim hæc interdum per annos pluſculos, ac vario fato non impleri ſaltim, ſed etiam evacuari rurſus, ſacculos iſtiusmodi puricundos poſſe, & hæc a bonitate naturæ, ac ægroti regimine, quin medentis tractatione, inprimis pendere, tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Unde piis ad DEUM precibus tandem deſino, velit Gratia ſua Sotheria Noſtro clementer adeſſe, medicamentis bene dicere, atque Suis Ipſum adhuc diu conſervare, ut exoptatum omnes voto damnati ſuo conſequantur

*F I N E M!*

Vade, Vale, atque cave impingas, præceptaque migres.
Gratia Sotheris Te regat atque tegat!

PRÆSES.